



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 6. Epilogus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

Time ergo Deum, quisquis metuis odium
 incurrere mortaliū, quisquis bonis me-
 tuis terrenis, quisquis vitæ, quisquis creati
 hostis persecutiones times. Non ego quidquā
 timebo imposterum nihil inquam timebo
 cū S. Francisco Xaverio nisi offendere Deum
 meum, qui tot tantaque quotidie in me con-
 fert beneficia. Eius timebo amicitiam perde-
 re & gratiam quæ est omnis & unicus thesau-
 rus meus. Deum solum diligam, illi soli con-
 fidam, quia vanitas vanitatum & omnia va-
 nitas præter amare Deum, & illi soli servire.
 Omnia transeunt & subito casu quæ valere
 ruunt. Omnis gloria & ornatus eorum quæ
 vulgus æstimat, corruptioni obnoxia sunt.
 Decidunt diademata, atteritur purpura, cor-
 pus quod nunc elegantiam vestis auro gem-
 misque splendescit ut sol oriens, corrūpetur
 aliquando, & fiet saccus stercoreum & esca
 vermium. Lingua eloquens, oculi micantes,
 frons nitens, vultus decorus, formosa labia,
 nitidæ manus, cor vividum, fortia brachia,
 speciosi pedes ac omnis pompa circumfluēs
 peribit & putrescet. Quapropter Anima Chri-
 stiana ne inhæreas his fluxis & perituris re-
 bus, cum nascuntur, occidunt, pulchræ appa-
 rent sed velut fumus evanescent. Ne fidas
 spe-

speciosæ fallaciæ, perstringit oculos ut micās
in tenebris astrum, sed nō nisi vermis est, aut
cariosum lignum resplendens. Ne innitaris
colossis istis & statuis ad nubes quidem usque
erectis, sed pedes habent luteos, in quos lapil-
lus decidens subvertit vastam molem, ut
sexcentas in partes dissiliat. Antiochus qui si-
bi videbatur etiam fluctibus maris imperare,
ut sacra refert historia Mach. 9. & montium
altitudines in staterâ appendere, paulò post
percutus est ob superbiam insanabili plaga,
*ita ut de corpore impii vermes scaturirent ac
viventes in doloribus carnes ejus effluerent, oo-
dore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur.*
Et qui paulò ante sidera cœli contingere
*se arbitrabatur, eum nemo poterat propter in-
tolerantiam fœtoris portare.* Quo devenient
porro ii qui sperarūt in divitiis multis, in va-
nitatibus & insaniis falsis? Quam ridiculus
apparet metus illorum quem conceperant?
Quàm poenitendæ cupiditates quibus tanto-
pere studuerunt mundo placere & velut nu-
men colere. In te solo Deus Optime Maxime;
in te spem & fiduciam omnem ponere debet
quisquis non vult decipi, Te unum sanctè ti-
mere qui solus hominibus & Angelis es ve-
rendus, quoniam à te solo pendent omnia
bona nostra, & spes omnes nostræ. Te solum
respi-

respiciunt. Tu denique es, ô pulchritudo tam antiqua & tam nova, tu solus es cui debemus omnem amorem. quoniam propter te, & ad amandum te conditi sumus : Tibi facile est dulcedine gratiæ tuæ emollire ferrea corda, inflammare igne amoris tui marmorea pectora & trahere ad te marpesia caute magis immobilia. Illabere menti meæ ô dulcedo inæstimabilis, quæ nunquam fatias : accende cor meum ô ignis qui nunquam extingueris : trahere me post te ut tibi soli adhæream, tibi soli vivam, mundo & creaturis omnibus mortuus. In te spem omnem & fiduciam & solatium meum ponam. Te amem & diligam in æternum & ultra.

Amen.

Laus DEO Virginique
MATRI.

INDEX